II Nepor.

Tainer Ludovici Nicolai: Dolor vectigalis ad lugubres exequias — persolutus

DOLOR VECTIGALIS
AD LUGUBRES EXEQUIAS,
QUIBUS
Venerabile Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Zamoscensis,
PIISSIMIS MANIBUS
ILLUSTRISSIMI DOMINI,
D. IOANNIS
IN ZAMOSCIE
ZAMOYSKI
COMITIS IN TARNOW & IAROSŁAW,
PALATINI SENDOMIRIENSIS
Copiarum externæ Militiæ S. R. M.
GENERALIS,
Camenecensis, Laticonensis, Kałusiensis
CAPITANEI,
IN PUBLICO SUO CONVENTU
Quarto Idus Septembris,
PARENTABAT.
A
M, LUDOVICO NICOLAO TAINER,
Phiæ Doct: Poeseos in Acad: Zamosc. Profess.
PERSOLUTUS.

ILLVSTRISSIMÆ HEROINÆ,

Dominæ, Dominæ GRISELDI CONSTANTIÆ IN ZAMOSCIE KORYBVTHÆ,

Ducissæ in Wiſniowiec & Łubnie, Comitiſſæ in Tarnow & Iaroſław, Terrarũ Ruſsiæ Palatinæ,

Dominæ, ac Patronæ Ampliſſimæ.

LVgubres Venire Camœnas, in Magni Herois obſequium ne mireris PRINCEPS ILLVSTRISSIMA Hæreditariæ quippè illi cũ fuerint, nec poterant nec debebant, doloris recuſaſſe vectigal. Et certè quis tam ferreus, qui ad tanti iacturam Eccleſiæ Patroni, Patris Patriæ, Mecænatis Academiæ, non ingemiſcat? Æuiternas hinc ille Olim meruerat Lauros quas ferali Metamorphoſi mutauit Libitina in Cupreſſos; ignara illius, viuere ſcilicet Magnos, poſt fata etiam Heroas. Nocere mortales Heroi noſtro Illuſtriſsimo nequeunt vmbræ, qui toties Martiales inter ignes, immortalem Illuſtriſsimi Nominis meruit gloriam. Legent Victorias, vel inſtupendis illis ad Czudnow aggeribus, vbi ferreum imbrem illum, non alio excepit pectore, quam vt aliquando perennis gloriæ Meſſem colligeret. Pàtriæ tum Pater omnium voce Ordinum proclamatus, quantum Reip. debeatur oſtendit. Sed Prôh dolor! quam citò inexorabile, Pæana in Nænias mutauit fatum; Quem enim orbis extingui poſſe non crediderat, lachrymæ omniũ teſtantur. Occinunt leſſus tributarios etiam Zamoſcen: Camœnæ Illuſtriſsimo Mecænati, quas vti doloris conſocias à conſpectu Tuo vt ſpero non excludes, PRINCEPS ILLVSTRISSIMA Non poſſunt Tuum Patrocinium non quærere, quæ quietem omnemque ſecuritatem Ternioni Sariſſarum ILLVSTRISSIMÆ DOMVS TVÆ debent. Quare benigno vt soles, Teſtem debitæ in Ampliſſimum Mecænatem obſeruantiæ, vultu accipe Conatum PRINCEPS ILLVSTRISSIMA, Meq; æternum Tibi Tuoq; obligatum Honori noſſe velis Clientem

DOLOR VECTIGALIS.

LVgubre tandem ſoluite barbito
Penſum Camœnæ: ſtrenua cædibus,
Et falce Victrix, in NEPOTES
Sæuit atrox Libitina Magnos.
Auguſta quondam Nomina, Martiis
Ornata lauris; totq; perennibus
Cantata per faſtos Trophæis,
Funereâ latitant ſub vmbrâ
Triſtiq; buſto: Tela Tricuſpidi
Armata ferro, parcere neſciis
Sternuntur à Parcis; dolorq;
Sarmaticos iterum fatigat
Sæuus Triones: ſiccinè lumina,
Orbis Lechæi, Cymmeriæ tegent
Fati tenebræ? marmorisq;
Sub Parii latitabit Vrnâ
Splendor Potentûm. Cedite Præficæ,
Obliuioſi, Gloria Nominis
Legem ſepulchri neſcit arctam,
Tot meritis redimita viuit.
Nefas doloris, ſed tamen impetus
Frenare grandes; quando rapacibus,
Conceſſit hêu fatis, vetuſtæ
Stirpis Amor, Patriæq; Fulcrum.
Ehêu! Poloni dextera concidit
Martis: nefaſtam temporis orbitam,
Atro lapillo connotandam,
Quis lachrymis gemituq; dignè
Deflebit, Orbis delicium mori,
Fulmen Gradiui, Sarmatiæ iubar,
Quis poſſe dixiſſet ZAMOSCIVM,
Fama cui numerat triumphos.
Inuicta ferro Dextera quæſijt
Martis Poloni, tramite laureas
Semper Cruento: Martiale
Pectus Auis, viguitq; Natis.
Stupenda certè Dextra ZAMOSCII
Inter furentes puluere Machinas,
Victrix refulſit; Moſchicoq;
CZUDNOUIOS rubuiſſe campos

Cruore

Cruore fecit. Discite posteri,
Virtute posthac quærere Gloriam
Plenum periclis; nam Cruentum
Suadet iter numerare Lauros.
Procul Leones cedite Subtica
Russi rebellis colluuies procul,
Olim ZAMOSCI, bellicosum
Nosse quibus nocuit furorem.
O rara summis Gloria mentibus,
Et æuiternæ splendor adoreæ,
Vixisset orbi: sarmatisq;
Nestoreum superasset æuum
Hector Polonus: Patria bellicas
Inter procellas, totq; pericula
Sydus coruscum, Martiales
Et strepitus habuisset inter.
Sed quis perennis Symbola Gloriæ,
Victura mundo: gestaq; dicere
Herois inuicti, quis vnquam
Innumeros celebrabit ausus.
Assurge Clio nunc animosius
Tristi ZAMOSCIVM surripe funeri,
Magniq; per fastos superstes,
Fama volet Patriæ Parentis.
Frustra tenebras sparseris inuidas
Ferale bustum: nescia squalidi
Virtus sepulchri: vincit vrnam
Emeritas repetitq; lauros.
Non tollet vmbris, Nomina sanguinis
ZAMOSCIANI, sortis atrocitas,
Viuet perennis Styrpis Almæ
Semper honos, referetq; plausus.
Secura vitæ viuito sæcula
Excelsa Virtus, cûi Pietas dedit
Legi sepulchri non subesse,
Sed celebri volitare famâ.
Clarescat orbi Gloria Nominis
Herois almi sæcula computans.
Dixêre Musæ; lege sacrâ,
Quas Helicon retinet ZAMOSCI.